

candam, quam accedentes ad hoc sacramentum gestare debent; nunc vero postquam illa cæremonia cessavit, nulla est circa hoc specialis observantia, sed tantum decentiæ, et honestatis ratio habenda est.

4. Quarto observatum est, ut tam confirmans, quam confirmandus jejuni accedant, ut tetigit D. Thom. hic, in solut. ad 2, et significat hoc fuisse præceptum in Concil. Senon., c. 3, et Concil. Meldensi, c. 6, et habetur in cap. Ut jejuni, et cap. Ut Episcopi, de Consecr., dist. 5, et idem statuitur in Concil. Paris., lib. 4, cap. 33, ubi adducitur congruentia, quod Apostoli jejuni confirmati sunt per Spiritus Sancti adventum; et credibile est, eos non nisi jejunos aliis Spiritum Sanctum tradidisse, quia ita decebat tam excellens ministerium, ut, qui daturus est Spiritum Sanctum, prius jejunando et orando in corde suo illi præparet habitaculum. Juxta quæ decreta, si hæc cæremonia observanda est, consequenter dicendum erit, sacramentum hoc matutino tempore ante prandium esse ministrandum, quia alias, moraliter loquendo, non posset jejunis a jejunis ministrari. Nihilominus tamen dicendum est, hanc cæremoniam non esse ex necessitate præcepti, sed solum ex decentia, ut hic D. Thom., quem omnes sequuntur, et expresse annotatur in Pontificali Romano; neque in supra citatis decretis sunt verba, quæ sufficienter indicent præcepti obligationem; et, quamvis essent, tamen illa Concil. provincialia sunt; neque eorum lex communi usu est recepta, sed potius abrogata; nam fere consuetudo jam obtinuit, ut sacramentum hoc post prandium conferatur. Quinta cæremonia est, quod in hoc sacramento adhibetur susceptor, qui confirmandum teneat. De qua satis dictum est in Comment. art. 10.

5. Sexta, antequam Episcopus conferat sacramentum, fundit quasdam orationes, deprecationes, ac benedictiones; et peracto sacramento, alias similiter subjungit, quæ piæ sunt, et juxta consuetudinem Ecclesiæ observandæ. Septima, post factam unctionem substantialem in fronte, vitta linea caput confirmati ligatur, quam aliqui uno, alii tribus, alii septem diebus gestare consueverunt, quod fit propter chrismatism reverentiam, ut non abluatur, sed exsiccet. Unde hæc cæremonia servanda omnino est, ut colligitur ex D. Th. in 4, d. 7, q. ult., art. ult., et aliis auctoribus ibi, et Summistis, verb. Confirmatio; quamvis in temporis seu dierum determinatione nulla

sit obligatio; sed ubique propria consuetudo servanda est, ut in Pontificali Romano dicitur. Atque idem judicium ferendum est de eo quod Hugo Victor., lib. 2 Sacram., part. 7, c. 6, dicit, per septem dies non esse abluendum caput, seu frontem hominis confirmati; quod ipse etiam, non ut necessarium, sed ut conveniens docet; et loquitur de vulgari et communi ablutione; nam alicubi moris est, ut paulo post abluantur in fonte baptismatis; ubi autem hoc non observatur, satis erit expectare, donec chrisma exsiccatum sit.

6. Octava, post peractum sacramentum Pontifex leviter dat confirmato alapam super genam, dicens, *Pax tecum*, quod solum fit ad significationem, ut confirmatus intelligat, se armari ad injurias pro Christo ferendas; et alii dicunt, fieri etiam ob memoriam, ut suscipiens recordetur sacramenti suscepti, et militiæ, ad quam exercendam conscribitur; hæc autem cæremonia non videtur esse tanti momenti, ut, si prætermittatur, sit peccatum mortale, secluso contemptu, ut notavit Soto hic, art. 12, ubi aliam cæremoniam refert, scilicet, quod cereus offertur; sed hanc non invenio in Pontificali Romano, neque in antiquis auctoribus.

#### DISPUTATIO XXXVIII, ET ULTIMA DE CONFIRMATIONE.

##### DE PRÆCEPTIS AD HOC SACRAMENTUM PERTINENTIBUS.

Distinguendæ sunt duæ personæ, quæ in usu hujus sacramenti, sicut et aliorum, necessario interveniunt, scilicet suscipiens, et minister, et de utriusque obligationibus, et de modis, quibus contra eas delinquere possunt, et de pœnis, si quas fortasse incurrant, dicendum est; de susceptore vero præter superius notata, nihil addendum occurrit.

##### SECTIO I.

Utrum omnes fideles baptizati teneantur hoc sacramentum suscipere et illud non iterare.

1. *Prima obligatio.* — Triplex obligatio intelligi potest ex parte recipientis hoc sacramentum. Prima est negativa, non recipiendi indigne, neque sine debita intentione ac dispositione hoc sacramentum; quæ etiam affirmative explicari potest sub conditione, seu quoad specificationem actus, scilicet digne recipiendi hoc sacramentum, si quis velit illud

recipere; et de hac obligatione nihil in particulari hic occurrit addendum, præter dicta supra de sacramentis in genere; nam hæc obligatio nascitur ex generali et connaturali lege sacramentorum, quæ ad hoc sacramentum determinanda est juxta dispositionem, quam hoc sacramentum requirit, de qua supra tractatum est.

2. *Secunda obligatio.* — *An maneat irregularis, qui iterat hoc sacramentum?* — *Prima opinio affirmativa.* — *Secunda opinio negat.* — Secunda obligatio, quæ in ultima particula tituli quæstionis attingitur, est etiam negativa, non recipiendi pluries hoc sacramentum, quæ potest etiam affirmative sub conditione et secundum numericam unitatem explicari, id est, ut, si quis vult hoc sacramento uti, semel tantum illud recipiat; et hæc obligatio est etiam certissima, quia supra ostensum est, hoc sacramentum non esse iterabile ex vi suæ institutionis. Unde, si quis tentet secundo illud recipere, irritum facit, et inane est, quidquid recipit, et ideo graviter delinquit. Quæri autem hic potest, an, qui iterato suscipit hoc sacramentum, maneat irregularis; quidam enim ita affirmant, ut Richard. in 4, dist. 7, art. 6, q. 4, ubi idem judicium censet esse de confirmatione, quod de baptismo; et Major ibi, in fine totius distinctionis; et D. Anton., 3 part., tit. 28, c. 6, § 3; et ex jurisperitis hoc tenet Glossa in c. Dictum est, de Consecr., dist. 5, et Arelat. et Albertus Trotius, quos refert Covarr. infra citandus. Fundari solet hæc sententia in paritate rationis, nam si ille, qui iterato suscipit baptismum, fit irregularis, cur non etiam ille, qui secundo confirmatur? præsertim, quia in Concil. Tarracon., c. 6, et refertur in d. c. Dictum est, eodem modo prohibetur confirmationis, quo baptismi iteratio, et eadem pœna pro utroque delicto imponitur, scilicet, ut, qui ita delinquit, non sæculo, sed solum Deo sub habitu regulari, vel clericali religiosissime famuletur. Unde ad hoc adduci solent decreta, quæ rebaptizatis irregularitatem imponunt, c. Confirmandum, d. 50, c. Quod quidam, 4, q. 1, c. Qui bis, de Consecr., d. 4. Sed hoc argumentum in materia odiosa et pœnali, et præsertim irregularitatis debilissimum est; primo, quia jure ipso cautum est, irregularitatem non incurri, nisi in casibus a jure expressis, cap. Is qui, de Sententia excommuni., in 6; ergo argumentum a simili nullum est ad irregularitatem colligendam. Secundo, quia licet in dicto c. Dictum est,

ita esse malam et prohibitam confirmationis sicut baptismi iterationem asseratur, ibi tamen nulla pœna irregularitatis imponitur. Unde, si ex aliis juribus non constaret, fieri irregularem, qui secundum baptismum recipit, ex vi hujus non fieret irregularis; nam aliud est religiosissime famulari Deo sub habitu regulari, vel clericali, aliud vero fieri irregularem; neque hoc posterius ex illo priori sequitur; nam, etiam si quis denuo ordinetur, vel in suscepto ordine ministret, potest in habitu regulari, vel clericali Deo religiosissime famulari; ex illo ergo textu neutra irregularitas colligitur; in aliis autem juribus nulla fit mentio confirmationis, sed solius baptismatis; hæc ergo irregularitas non est in jure expressa. Et ideo est secunda sententia probabilior, negans propter hoc delictum irregularitatem incurri; quam tenent in 4, d. 7, Scot., q. 5; et Palud., q. 2; Gabr., q. unica, art. 3, dub. 5; eamque ex parte secutus fuerat Antonin., 3 part., tit. 44, c. 44, § 4, ubi tamen solum loquitur de eo, qui ignoranter bis confirmatus est, quia de hoc, inquit, nihil est in jure expressum; sed hæc ratio plus concludit, ut diximus. Et eandem opinionem sequuntur Castro, et Turrecrem., quos refert et sequitur Covarruvias in Clementina Si furiosus, in principio, n. 8, ubi nonnullam rationem differentie assignat; nam in baptismo injuncta est illa pœna propter hæresim circa illud sacramentum peculiariter exortam; quæ ratio neque in hoc sacramento, neque in sacramento Ordinis, locum habet. Addo præterea pœnam, illam in illo c. Dictum est, impositam, in primis non esse a Summo Pontifice, vel aliquo Concilio generali latam, sed a Concil. Tarracon. provinciali, ut Gratianus et Ivo referunt, nam in ipso Concil. non reperitur; deinde non esse usu receptam, et ideo non incurri, præsertim ante judicis condemnationem. Posset autem judex ecclesiasticus illam imponere pœnam, quanquam non teneatur, ut existimo, propter rationem dictam.

3. *Tertia obligatio affirmativa esse potest de exercitio ipsius actus;* ut si sit fidelibus baptizatis præceptum impositum suscipiendi hoc sacramentum; et de hoc sunt variae opinioniones. Prima affirmat, esse a Christo Domino latam hujusmodi præceptum, et obligare omnes baptizatos adultos, si commode possunt hoc sacramentum suscipere. Ita sentit Scot., d. 7, q. 2, ubi primum dicit, quod adultus tenetur suscipere hoc sacramentum, id est, non contemnere. Unde infert, teneri illud



suscipere pro tempore congruo, quia iudicaretur contemptum, si omnimoda opportunitate oblata, non susciperetur. Idem omnino dicit Richard., art. 5, q. 1; et Waldens., tom. 2 de Sacram., cap. 111; Petrus Soto, lect. 2, de hoc Sacram.; Pamel. in scholiis ad Tertull., lib. de Bapt., cap. 8; et significat etiam Turrian. in scholiis ad Clementem, lib. 8 Const., c. 16, ubi ex verbis Clement. colligit, dari mandatum de hoc sacramento; et Bellarm., 1 de Sacrament., cap. 22, similiter dicit, omnibus sacramentis esse adjunctum præceptum, vel respectu communitatis, vel respectu singulorum personarum; et ex antiquis favet huic sententiæ Hugo de S. Vict., lib. 2 de Sacram., part. 3, c. 3, cujus verba retulit et explicuit D. Th., art. 8, ad 4; et Amalar., lib. de Divinis officiis, c. 27. Fundamentum est, quia, licet hoc præceptum non sit expresse scriptum, vel traditum, ut quid distinctum ab institutione, tamen in ipsa institutione, et in fine ejus intrinsece includitur, quia omnes fideles tenentur fieri, et esse plene christiani; et ideo hoc sacramentum accipere debent, ut plene christiani inveniantur, ut dixit Urbanus P., ep. 1, c. 7; et ideo dixit etiam Melchisedes Papa, *quamvis continuo morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria esse confirmationis auxilia, ideoque ita conjuncta esse hæc duo sacramenta, ut ab invicem, nisi morte interveniente, nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non possit.* Quod autem dicit, *rite*, non potest intelligi, quoad valorem sacramenti; necessario ergo intelligendum videtur, quoad obligationem utrumque suscipiendi; atque eodem sensu intelligendum videtur, quod in Concil. Aurelian., cap. 3, dicitur, baptizatum non censeri christianum, donec confirmatione Episcopali fuerit chrismatus. Et confirmatur, nam licet fortasse ex sola ac præcisa institutione non sequatur hæc obligatio, tamen per sese est valde credibile, Christum Dominum illam adjunxisse; neque tantum, tamque necessarium sacramentum sub consilio solum reliquisse, quia non fuisset hic sufficiens providentiæ modus; simili enim de causa, instituendo sacramentum Eucharistiæ, illi præceptum adjunxit, quamvis effectus ejus non esset simpliciter necessarius, sed tantum valde utilis ad salutem. Tandem omnes fatentur, omittere hoc sacramentum ex contemptu esse peccatum mortale; sed qui oblata occasione negligit semel, atque iterum, vel certe, qui proponit nunquam illud reci-

pere, etiam si millies offeratur occasio, virtualiter contemnit; neque enim expectandus hic est formalis contemptus, qui sine Pelagiano errore, aut Luciferiana superbia vix concipi potest.

4. *Secunda opinio negat ex parte.*—Secunda sententia negat, hoc esse simpliciter præceptum jure divino, sed solum in determinato casu, scilicet quando instat occasio publice confitendi fidem coram tyranno, et prius potest commode recipi hoc sacramentum; nam tunc inveniunt, grave esse peccatum adire illud periculum sine præparatione hujus sacramenti. Ita tenet Durand. in 4, d. 7, quæst. 1; et eum videtur ibi sequi Gabr., dub. 3; Marsil., q. 5, art. 4; et idem Turrecremata, cap. 1 de Consecratione, d. 5; Waldensis etiam, et nonnulli ex auctoribus citatis possent facile in eodem sensu intelligi. Fundamentum hujus sententiæ est, quia temere se exponit periculo cadendi, qui inermis aggreditur maximum periculum fidei, et spiritualis militiæ. Unde hæc opinio non videtur fundare hoc præceptum in speciali impositione sacramenti. Potest autem nonnihil adjuvari hæc opinio illis Christi verbis: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*; nam sicut promissio Spiritus Sancti Apostolis facta, communis est omnibus christianis, ut supra vidimus; et quod in illis impletum est die Pentecostes, in cæteris per hoc sacramentum impletur; ita verba illa, quamvis solis Apostolis, et eorum sociis dicta videantur, omnes tamen fideles comprehendere videntur, quibus præcipitur, ut ad publica pericula fidei non exeant, donec per hoc sacramentum induantur virtute ex alto; nam ut alias dixit Cypr., ep. 54, *contra rationem est, sine armis ad pugnam accedere.* Atque hanc sententiam maxime videntur probare, quæ in priori adducta sunt, quia in eo casu maxime apparet necessitas; et tunc voluntaria ommissio majorem contemptum indicat, et irrationabilem quamdam prodigaliter bonorum spiritualium, propriæ et inordinatæ charitati valde repugnantem. Nihilominus tamen hæc sententia non videtur tam consequenter loqui, sicut præcedens; nam, ut supra vidimus, hoc sacramentum non solum adjuvat ad constantiam fidei, quando propria infirmitas, et interior tentatio hominem premit et obruit; nec solum confert auxilium ad credendum, sed etiam ad vivendum secundum fidem, ita ut non solum in fide, ut sic, sed etiam in fide viva hominem confirmet: unde recte dixerunt Alens. et Bonav. infra citandi,

quod non solum ex externo periculo, sed etiam ex interna infirmitate, et continua hujus vitæ necessitate potest oriri necessitas sacramentalis gratiæ confirmationis; ergo, si specialis necessitas illius casus est sufficiens ad inducendam præcepti obligationem in illo statim articulo recipiendi hoc sacramentum, necessitas totius vitæ inducet obligationem, non negligendi hoc sacramentum toto tempore vitæ, sed aliquando illud suscipiendi, et ideo Melchisedes P. non dixit, *statim præliaturis*, sed simpliciter, *victuris* necessaria esse confirmationis auxilia.

5. *Tertia opinio, esse præceptum non divinum, sed ecclesiasticum.*—Tertia opinio est, hoc sacramentum esse simpliciter in præcepto, non tamen divino, sed ecclesiastico. Hanc tenent Alex. Alens., 4 part., q. 25, memb. 2; Bonavent., d. 7, art. 3, q. 2; Paludan., q. 1; et Antonin., 3 part., tit. 14, cap. 14, § 5; Sylvester, verb. Confirmatio divina, num. 2; et idem sequitur Turrecrem. supra. Fundatur hæc sententia in dictis Pontificum supra citatis; quæ etiam referuntur de Consec., d. 5, a princip.; favet etiam Conc. Laodic., cap. 8, dicens, oportere hoc sacramentum recipere. Hæc vero opinio minus etiam consequenter loquitur, quam prima, quia revera Pontifices in illis locis non condunt novum jus, sed referunt antiquum, ab ipso Christo institutum, et traditum; nec novam necessitatem imponunt, sed eam tantum declarant, quam confirmatio ex se, ratione sui finis et effectus, habet.

6. *Quarta opinio absolute negat datum esse aliquod præceptum.*—Quarta itaque opinio absolute negat, datum esse aliquod præceptum suscipiendi hoc sacramentum. Hæc censetur esse sententia D. Thom., in 4, dist. 7, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2, et hic art. 8, ad 4, quia secluso contemptu, dicit non esse peccatum mortale omittere hoc sacramentum toto tempore vitæ; at vero, si esset præceptum, voluntaria ommissio esset peccatum mortale, etiam sine contemptu; constat enim, contemptum aliquid aliud addere præter voluntariam omissionem; potest enim quis voluntarie omittere susceptionem Ordinis, vel religionis sine contemptu; sicut etiam potest voluntarie omittere matrimonium sine contemptu; nam ex contempu, esset peccatum mortale, cum tamen ex se, et libera tantum voluntate factum, nec veniale sit; item quod fit, vel omittitur ex ignorantia culpabili, vel passione, non est ex contemptu; et tamen erit

peccatum mortale, si in re gravi sit contra præceptum; sed in re præsentis juxta sententiam D. Thom. hæc ommissio non erit peccatum mortale, etiam si ex negligentia, aut verecundia contingat, secluso contemptu; ergo signum est nullum intervenire præceptum. Et hoc sensu defendunt hanc sententiam hic Soto, et Ledesma, art. 8; Adrian. in 4, materia de Confirmat., art. 1; Angelus, verb. Confirmationis sacramentum, n. 1; Ruard., art. 12 cont. Lutherum; Victoria, in Sum., num. 47; Navarr., in Sum., cap. 22, num. 9, qui tamen dicit esse peccatum veniale, negligere hoc sacramentum secluso contemptu, secutus Cajetan. in Summa, verbo Confirmatio; idem tenet Covarruvias, lib. Variar. resolut., cap. 10, n. 5, quamvis de veniali peccato nihil dicat. Fundamentum hujus sententiæ est, quia præceptum obligans sub mortali non est asserendum sine cogente fundamento; hic autem nullum est, non solum cogens, verum neque admodum urgens, quia neque in Scriptura habemus hoc præceptum, neque ex traditione; nam omnes Sancti, et Pontifices, qui de hoc sacramento loquuntur, explicant quidem vim, efficaciam et utilitatem maximam (quam quodammodo necessitatem appellant) hujus sacramenti; nihil tamen dicunt, quod sufficienter indicet præceptum. Nam, quod aiunt, requiri hoc sacramentum ad plenitudinem vel perfectionem hominis christiani, vel etiam, ut simpliciter christianus dici possit, non potest intelligi de his, quæ sunt de substantia (ut sic dicam) hominis christiani; hæc enim per baptismum dantur; nec de plenitudine sufficientiæ (ut recte dixit Alensis), sed de plenitudine abundantiæ, et de christiano milite consignato; quæ non oportet esse simpliciter necessaria, vel præcepta. Atque hoc modo dixit Clemens, epist. 1, qui ob incuriam omittit hoc sacramentum, non fore perfectum christianum, non tamen negat posse esse verum et justum christianum. Neque etiam colligitur hoc præceptum ex ipso usu, vel traditione, tum quia fideles communiter non inducuntur ad recipiendum hoc sacramentum tanquam ex necessitate obligati, sed tanquam invitati ad id quod per se bonum et utile est; unde nullis censuris astringi solent, neque aliis mediis, quæ necessitatem indicent; tum etiam quia si hoc sacramentum esset jure divino præceptum, daretur omnibus adultis in articulo mortis; quod tamen usus Ecclesiæ non habet.

7. Tandem non colligitur ex sola ratione,

etiam supposita institutione et fine ac effectu hujus sacramenti, quia ex his omnibus solum colligitur hoc sacramentum esse valde utile ad perseverandum in fide, non tamen necessarium, atque adeo neque præceptum propter hanc causam, quia sunt alia media sufficientia ad eum finem consequendum, qualia sunt, oratio, meritum, virtutis exercitium, et similia. Et confirmatur, nam certum videtur, potuisse Christum Dominum instituere hoc sacramentum, ita ut ex illo nullum sumeretur præceptum; ergo ex sola institutione non colligitur; ergo nullo modo constat dari tale præceptum jure naturali aut divino. De jure autem pure ecclesiastico manifestius hoc constare videtur, tum ex dictis, tum etiam quia Ecclesia non solet imponere affirmativa præcepta, nisi determinando tempus, in quo implenda sint; imo in materia sacramentorum non solet præcipere usum, quoad substantiam ejus (ut sic dicam), sed solum determinare tempus, in quo talis usus exercendus sit; in usu autem hujus sacramenti nullum tempus determinavit.

8. *Hæc ultima sententia tenenda est.* — *Quibus modis omissio confirmationis possit esse peccatum mortale.* — Quocirca hæc postrema sententia vera est per se loquendo de præcepto proprio, et intrinseca obligatione hujus sacramenti. Ex quo fit, per se etiam loquendo, non esse peccatum mortale hoc sacramentum voluntarie omittere; an vero sit peccatum veniale, ut Cajetan. et alii volunt, ex fine et modo voluntatis judicandum est; nam ex vi objecti et intrinsece obligationis consequenter dicendum est, nullum esse peccatum, quia talis actus non est in præcepto, sed in consilio; alioqui, si esset præceptum, materia ejus esset satis gravis, et ideo per se loquendo, obligatio, aut esse debet sub mortali, vel omnino nulla, neque est dare medium. Ex accidente vero potest esse veniale peccatum, si censeatur irrationabilis quædam prodigalitas spiritualis, vel nonnulla temeritas in modo aggrediendi periculum fidei. Sed his etiam modis potest interdum esse peccatum mortale, etiam per accidens. Primo ratione contemptus, si quis pro nihilo ducat hoc sacramentum aut effectum ejus, aut vile vel puerile existimet se illi subicere. Secundo, ratione scandali, si ita se publice gerat, ut speciem contemptus aliis præbeat. Tertio, ratione conscientie et charitatis propriæ, ut si practice sibi quis persuadeat, sine hoc medio non posse tentationes contra fidem vincere,

aut esse in morali periculo, ut in tormentis superetur et vincatur. Quarto ratione extrinsece necessitatis ad remissionem peccati; ut, si quis habens conscientiam peccati mortalis, et in periculo mortis existens, non posset aliud sacramentum accipere, et timeret de suæ contritionis perfectione, posset obligari ad hoc sacramentum accipiendum, ut, si forte tantum esset attritus, virtute illius fieret contritus; sed hic casus non est moralis, tum quia Episcopus, qui posset confirmare, posset etiam absolvere, nisi fingamus nolle confessionem audire ex aliquo timore aut pravo errore; tum etiam quia ad recipiendum digne hoc sacramentum, requiritur moralis existimatio contritionis, quæ videri etiam potest sufficiens ad sustinendam mortem; quamvis revera charitas strictius obligare videatur ad vitandum periculum mortis æternæ. Ultimus casus excogitari potest propter recipiendum aliud sacramentum, ad eum modum, quo obligatur interdum quis ad confessionem, ratione Eucharistiæ suscipiendæ; sed hæc obligatio in præsentem non habet locum respectu quinque sacramentorum; nam baptismus necessario antecedere debet; et licet respectu Eucharistiæ regulariter sit melius, ut confirmatio antecedat, tamen hic ordo non est in præcepto, ut ex usu Ecclesiæ supra tractato constat, et quia nullibi extat tale præceptum; et idem a fortiori dicendum est de matrimonio et de extrema unctione; de confessione vero non solum non est præceptum, verum potius consultius est, ut confessio præcedat, si homo habeat materiam ejus, ut supra dictum est, et habetur in cap. Ut jejuni, de Consecr., d. 5; de Ordine vero dubitari nonnihil potest; nam in Concil. Trident., sess. 23, cap. 4, prohibetur prima tonsura initiari, qui sacramentum confirmationis non suscepit; sed ibi non imponitur censura, neque verbum, quod rigorosum præceptum indicet; et ideo hujusmodi omissio non erit peccatum, saltem mortale, ut docent Soto, in 4, d. 7, art. 8, conclus. 3, et d. 24, quæst. 4, art. 4; Victoria, in Summa, num. 48; Navarr., cap. 22, num. 9, qui idem censent de conferente Ordinem, vel ipsummet sacramentum confirmationis, cum ipse confirmatus non sit.

## SECTIO II.

Ad quid obligetur minister hujus sacramenti.

1. *Triplex ministri obligatio.* — *Prima.* — *Eadem fere triplex obligatio, seu præceptorum*

ratio, quam circa suscipientem consideravimus, potest, servata proportione, in ministro reperiri. Primum ergo præceptum est affirmativum de exercendo hoc ministerio, et hoc modo obligantur Episcopi in suis diocesisibus aliquoties opportunis temporibus ministrare hoc sacramentum, ratione sui muneris et officii. Unde graviter peccare possunt contra hoc præceptum, si multo tempore hoc negligenter omittant, ut notarunt Angelus, verb. Confirmationis sacramentum, num. 4, et Sylvest., verb. Confirmatio divina, num. 2, quia, cum sit pastor, tenetur pascere oves, non solum in his, quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem, sed etiam in his, quæ ad Ecclesiæ et membrorum ejus singularem utilitatem a Christo sunt instituta, quæ proinde ab ipsis ovibus juste possunt desiderari et exigi, ut supra diximus agentes de sacramentis in genere, et infra etiam dicemus de sacramento Eucharistiæ et confessionis; est enim in hoc sacramento eadem vel major ratio, quia et magnam perfectionem gratiæ confert, et semel tantum in vita recipi potest. Si autem Episcopus per seipsum huic obligationi satisfacere non potest commode, satis erit, si ministerio alterius Episcopi adjuvetur, quia ad ovium utilitatem parum refert, quod per se ipsum, vel per alium, hoc sacramentum administret.

2. *Secunda obligatio.* — *Non fit irregularis Episcopus, qui iterat hoc sacramentum.* — Secundum præceptum est, aut negativum, aut affirmativum conditionatum, seu quoad specificationem actus, scilicet, valide et rite conferendi hoc sacramentum, quando illud administrat, quæ obligatio communis est in omnibus sacramentis; et ideo nihil fere addendum occurrit, nisi quod hinc nascitur specialis obligatio non iterandi hoc sacramentum, quia, cum iteratur, nullum est, ut supra ostendimus. Occurrit tamen statim quæstio supra tractata, an Episcopus voluntarie iterans hoc sacramentum, maneat irregularis. Cui negative respondendum est, sicut de suscipiente sacramentum respondimus, quod docent iidem auctores ibi citati, et propter idem fundamentum, quia hujusmodi irregularitas non est in jure expressa; imo (quod ego legirim) nulla censura vel poena est in jure data

ratione hujus delicti; nam in cap. Dictum est, de Consecrat., dist. 5, non est sermo de conferentibus, sed de suscipientibus iteratam confirmationem; et nullus est alius textus, in quo poena aliqua propter hanc obligationem imponatur.

3. *Tertia obligatio.* — *Uti chrismate veteri sine urgente necessitate, esset grave peccatum.* — Tertium præceptum, quod negative etiam potest explicari, vel affirmative conditionaliter, seu quoad specificationem actus, est, non solum valide, sed etiam digne administrandi hoc sacramentum, et vitandi omnem irreverentiam ejus. Et huc in primis spectat debita dispositio et sanctitas ministrantis, juxta generalem doctrinam de sacramentis; hic enim nihil speciale occurrit. Ad hanc etiam obligationem pertinet usus convenientis materiæ et formæ, in quo solum illud specialiter advertendum occurrit, cadere, scilicet, sub hujus præcepti obligatione, ut confirmatio non conficiatur ex veteri chrismate, sed ex novo illius anni; esset enim grave peccatum sine urgente necessitate illa materia uti, ut constat ex epist. 2 Fabiani P., et ex c. Si quis de alio, de Consecrat., d. 4, ubi est sermo de unctione chrismatis, quæ fit in baptismate; est autem major ratio de unctione confirmationis; atque idem colligitur ex cap. Quoniam, de Sentent. excommun., in 6, ut ibi Glossa notavit. Præterea ad hoc præceptum reducitur obligatio ministrandi hoc sacramentum cum debita solemnitate, cæremoniis ac circumstantiis requisitis, ita ut detur tempore opportuno, loco decente, et cum aliis ritibus supra numeratis præcedente disputat., sect. 2, quæ obligatio gravior aut levior esse poterit pro materiæ qualitate. Tandem ad hoc præceptum reducitur obligatio confirmandi tantum in propria diocesi, et personas sibi subditas; nam confirmare eos, qui sunt alieni juris, aut in aliena diocesi sine facultate debita, esset illegitima administratio in hoc sacramento, et grave peccatum, ut ex superius dictis constat; et docet Paludan, in 4, d. 7, quæst. 4; Sylvest., verb. Confirmatio divina, quæst. 5, qui merito advertit, nullam censuram esse ipso jure impositam propter hanc culpam, neque etiam propter illam irregularitatem incurri, quia non est in jure expressa.